

WERNER, CELSIUS , OLOF, STIERNER, LARS

Dissertatio academica de hodierno
statu ecclesiae Armenorum. Quam,
suffragante ampliss. senat. philos. ill.
lycei. Upsaliensis sub praesidio ... Olavi
Celsii ... publico examini subjicit
Laurentius Sti

[1726]

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök*:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra*:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

CELSUS
HODIERNUS

Physiologie
Allm.
(Vb.)

1700 - 1829





אלהים עזר לי

DISSERTATIO ACADEMICA
DE

1700 - 1829

HODIERNO
STATU ECCLESIAE
ARMENORUM.

QUAM,

*Suffragante Ampliss. Senat. Philos.
Ill. Lycei Upsaliensis*

SUB PRAESIDIO

*Max. Rever. & Celeb. VIRI
Dn. OLAVI CELSII,
S. S. Theol. Doct. & L. O. Prof.
Reg. & Ord.*

Publico examini subjicit

LAURENTIUS STIERNER,
NERICIUS.

Die 17. Sept. An. MDCCXXVI.

In Auditorio Gustaviano Majori,

Horis ante meridiem solitis.

UPSALIAE, Literis WERNERIANIS.

W. C. L. P. 1829

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo in Christo
PATRI ac DOMINO
DN. DANIELI
NORDLIND,
S. S. Theol. DOCTORI
Celeberrimo,

Inclutæ Diœceseos Stregnesensis
EPISCOPO
Eminentissimo,

Consistorii PRÆSIDI
Gravissimo,
Regii Gymnasii Scholarumque
EPHORO,
Adcuratissimo,

MÆCENATI MAXIMO.



H *Asitanti, an levidense*
hoc, de PRÆSENTI
ECCLESIE ARMENO-
RUM STATU specimen,

Tibi, REVERENDISSIME EPI-
SCOPE, offerre audeam, animum
addit ille Tuus, quo Camenarum alu-
mnos complecteris, insignis plane &
nunquam satis deprædicandus favor.
Hasce igitur studiorum meorum primi-
tias, nullo licet pretio commendabiles,
ut serena, MÆCENAS MAXIME,
fronte adspicias, etiam atque etiam ro-
go & obtestor. Me insuper ad aras
Tux benignitatis submissa animi vene-
ratione tendentem, gratia & favore
Tuo refocilles, humillimus contendo.
Ego vicissim pro perenni Tua incolumi-
tate, vota, quo ad vixero, nunquam
non fundam calidissima.

REVERENDISSIMI
NOMINIS TUI

cultor devotissimus
LAUR. STIERNER.

Admod Rev. atque Præclarissimo VIRO,
Mag. J O H A N N I
B R O L I N G,

S. S. Theol. *Lectori* Prim. in Gymn.
Stregnes. Dexterrimo, *Pastori* & *Præ-*
pos. in Sello meritissimo.

Admod. Rev. ac Præclarissimo VIRO,
Mag. I N G E L L O
H E L S T A D I O,

Hist. & Phil. Moral. *Lectori* Adcu-
ratissimo.

Plur. Rev. atque Præclarissimo VIRO,
Mag. J O N Æ
W I D M A R K,

Pastori in Skylstersta meri-
tissimo.

Patronis, Promotoribus & Fau-
nerabunda mente

Præsentibus hæc primitias Academicas,
collata beneficia, cum voto omnigenæ pro-

Admod. Plurimumq; Rever.

cultor obser-
LAUR.

Admod. Rev. & Præclarissimo VIRO,
MAG. SAMUELI
FABRICIO,
S. S. Theologiæ Lectori Laudatissimo, Pastori & Præposito in Aspö dignissimo.

Admod. Rev. atque Præclarissimo VIRO,
MAG. SIMONI
KIEMPE,
Græc. Ling. Lectori dexterissimo.

Plur. Rev. & Clarissimo VIRO,
DN. OLAVO
STAKE,
Scholæ, quæ in Ladugårdsland. Holm. est Rectori dignissimo.
toribus exoptatissimis, pia & ve-
jugiter colendis,
in tesseram grati animi, ob plurima in se-
speritatis calidissimo, offert & consecrat,
Nominum Vestrorum

tantissimus
STIERNER

Til Kongl. Slots Magazins
Profwiant mästaren
I STOCKHOLM,
Den Åreborne och Högachtade
H E R R E N /
Hr. N I L S Å R E N S T E N /
Günstige Gynnare.

Då lär naturens lias / som medfödt hos oss
lyser /
Och finnes hos en hwar / i hjertat man thet lyser /
At wälgiordt prisas bör / och ej af stämmer min
Förtigas / gömmas bort i glömskans mörka grun.

Än mer / thet lärer ock / at likt mot likt bör swara /
At tack och wälgiordt tienst / af lika wikt bör wära :
Thet förra / utan brott / ej tol dispensation,
Thet andra wäl / i brist / godt fulgior intention.

Sag therför' gunstigt upp / min Hert Patron, jag beder /
Thet lilla Snills:prof / jag up nu offerat Eder /
Til wördsam minnesbild / af alt margfalligt godt /
Er godhet wisat mig / stänckt gifwit utan mått.

Så länge jag är till / skall slikt af mig ej gömmas /
Med stialigt loford ut at foras och berömmas ;
Men att Er godhets wickt / är mig för tung och swår /
Med jämnwikt wåga upp / wet jag god uhrsächt får.

Then höga Himlens Gud / gif hwad af Er kan dustas /
Wälsigne wårdnad Er / at städse må I grönnas /
Förnögder hwar I å / förnögder i Ert bo /
Men sidst bland Helgon all / bekrön med ewig rof

L A U R. S T I E R N E R.



I. N. 7.

§. I.

HAcicm, quam hodie præfert Ecclesia Armenorum, impræsentiarum divina adfulgente gratia, contemplaturi, missis præfationis ambagibus, hoc statim dictum volumus, nationem illam, ipsis statuentibus Armenis, per Apostolos, Bartholomæum & Thaddæum, eorumque discipulos, Adæum, Uëski & reliquos, magnam partem ad religionem Christianam converlam esse *a*): unde sic Nier-

A les

a) ex Agathangelo, in historia convers. Armenor. & vitarum Gregorii, regumque ουχρονων Armenorum ac Per-

ses Clajensis, Patriarcha Armenor.
Catholicus:

*Qui Apostoli Thaddaeum ad illum regem
miserunt,*

*Juxta id quod ipse Christus promiserat.
Iste cum in urbem Orham venisset,
Abgarum a langvoribus & doloribus sa-
navit,*

Et in fide confirmavit, &c. b).

His vero sub Sanatrugo rege marty-
rio coronatis, ad pristinam idololatri-
am relapsa, & post ducentos demum
& sex annos universa, a *S. Savorich*,
nobis Gregorio, ad salutarem fidem
reducta est. Occasionem feliciter
renovandæ conversionis, dedisse
fertur metamorphosis regis ipsorum
Tiridatis, qui cum Gregorium tri-
stissimo profundissimoque addixis-
set carceri, & post tredecim inde
annos

*sarum; Mose Chorenensi, in Histor.
Armena. p. 184 Galano, ex Histo. Arme-
no anonymo c. I. & II. prolixè probari
asserit Schröderus, in Thes. ling. Arm. p.
249. b) in lib. Hisus Uërdi p. 442.*

annos, ad preces sororis suæ *Cafrovitught*, magnatumque intercessionem, libertatem Gregorii postulantium, cor suum instar Pharaonis indurasset, sub venatione quadam, ipse in porcellum, comites vero ejus in lupos anthropophagos transformati sunt. Populus hinc terrore percussus, Gregorium e carcere eductum, multis sollicitaverere precibus, ut sua apud DEUM intercessione, regem ejusq; comites, tam manifesta Numinis pœna afflictos, in pristinum statum restituendos curaret: quo factò, Christianam fidem omnes in universum amplexi sunt c). Inde Armenia, quot bellis laceffita, quot hæresibus ac hæresiarchis impetita, quot ærumnis in hunc usque diem ab infidelibus pressa, & tantum non oppressa fuerit; reges tamen suos habuit, Major quidem Armenia ad V. Minor.

A 2

ve-

c) *Ricaut Histoire de l'estat present de l'Eglise Armenienne pag. 395. & 396. Clem. Galanus in Hist. Armen.*

vero ad XIV usque, a nato Chri-
 sto, seculum, religionis ac regio-
 nis suæ vindicatores fortissimos:
 Patriarchas, Episcopos, Doctores,
 & Christianæ fidei antesignanos &
 defensores progenuit acerrimos,
 martyres constantissimos; qui scri-
 pturam sacram in vernaculam lin-
 guam transferendo, rerum sacra-
 rum cognitione gentem suam in-
 struxerunt, imbuerunt. Quid vero
 hodie sentiant, circa primarios fi-
 dei articulos, & jure ne an injuria
 hæctenus accusati fuerint detestan-
 dæ illius Monophysitarum hærese-
 os, specimen hocce Academicum,
 ad ductum recentiorum Scriptorum,
 quantum ingenii vires concesserint,
 explanabit. In antecessum autem,
 Tuum B. L. favorem imploro, ve-
 lis pro ea, qua Musarum cultores
 nunquam non amplecteris huma-
 nitate, innoxios meos conatus in
 meliorem partem interpretari.

§. II.

Cum nemini obscurum esse queat, quid fons Dissertationis nostræ intendat, enodationi singularum in ea comparentium vocum inhærere, ceu rei imperatæ brevitati haut conducenti, super sedemus. De Armenis autem, qui a Rege & conditore gentis suæ *Haik*, olim *Haikani d*, nunc *Turcis Bokegis dicti e*), hoc duntaxat generatim observatum volumus, ab ipsa Armenia, regione Asiæ, quam inhabitant, nomen sortitos esse; unde mercaturæ ergo, cui solícite admodum operam dant, per varias terræ plagas sese diffundunt. Nam præter Armeniam, non pauci illorum vivunt in *Mesopotamia*, ut *Nisibi*, *Mausilæ*, & in suburb. *Karæ f*) in *Perside*, *Tzulfæ g*) in *Syria*: *Alepi h*),

A 3

in

d) *Schröd. l. c. pag. 13. & 14.* e) *Ricaud. l. c. p. 383.* f) *Dapp. in sua Asia pag. 9. 3. & 11.* g) *Dapp. Tom I. p. 28. & 71. Olear. itiner. Pers. p. 279.* h) *Dapp. p. 142.*

in *Cilicia*, *Sisii*, *Adæ*, & *Maræ* circa *Tarsum* *i*), in omnibus ferme urbibus imperii *Ottomannici*, puta *Prusiæ*, *Angoræ*, *Trapezunti*, *Alexandriæ*, *Cairi*, *Constantinopoli*, & *Caphæ* *k*). Quin & numero non exiguo reperiuntur in *Italia*, *it. Anglia*, *Belgio Fœderato*, *Lithuania*, & *Polonia* *l*), ut & in urbibus *Palestinæ*, & alibi, ubi prout in eos fuerit indulgentia summorum imperantium, templa & capellæ, heic plura, ibi pauciora habent. Per *Turcicum* imperium, cui per *Selim I. An. MDXV.* subiecti, sat libertatis ipsis conciliarunt præclara majorum in *Muhammedem* merita, cui privato adhuc, quidam ex ordine *Cleri Armenorum*, honores illos prædixisse fertur, ad quos postea euectus est: hinc cum a *Pleudo-Propheta*, singulari quodam privilegio

i) *Gothofred. in Arch. Cosm. lib. 2. p. 27.* *k*) *idem l. c.* *l*) *D. D. Benzels. Hist. Eccles. pag. m. 375.*

villegio, affectibus successorum essent commendati, plus ipsis, quam ullis aliis Christianorum, a Turcis indulgetur *m*). Nec qui Persis subjacent, multo rigidius habentur; soluto enim regi tributo anniversario, ipsorum, æque ac suorum civium tutelam agere, suarum esse partium existimat. Igitur, ne quid injuriæ invicem patiantur, caput & gubernatorem illis constituit, quem *kelonter* dicunt, lites & controversias, si quæ inter eos exortæ fuerint, regia prorsus auctoritate diremturum *n*). Unde Tzulfa plurima habent capella, unum Archiepiscopum; plures vero Episcopos & monachos.

§. III.

Antequam longius progredimur, Confessionem fidei, quam circa primaria doctrinæ Christianæ

A 4

capita,

m) Hornbekii summ. Controv pag 83.

n) Jean Baptist. Tavernier voyages en Perse, lib. 4. pag. 468. & 469.

capita, hodie tenent Armeni, exponamus necessū est. Sunt enim in Ecclesiis eorum, non tantum symbola, quæ illis nobiscum communia sunt, utpote Apostolicum, Nicænum, cui Constantinopol. insertum, & Athanasianum o), a multis retro seculis Ecclesiæ tradita; sed & variæ confessiones fidei particulares, quas, in suæ gentis gratiam adornarunt viri, qui Christianæ religionis in Armenis propagatæ, *στυλοὶ καὶ ἐδραϊώματα* fuerunt. Eminent inter eas, quæ prisco prodierunt ævo, Gregorii Nariakensis episcopi, circa annum Christi CMLI. Niersefis Clajensis, patriarchæ Armenorum catholici, anno salutis circiter MCLXX. Niersefis Lampronensis Archiepiscopi, circa annum MCLXXVII. & iterum Niersefis Clajensis, carmine rhythmico 1365 composita. Quot vero sint recentio-

o) Schröd. in not. ad. confess. fid. Armenor. p. 254.

recentiores, non constat plane; illarum unam tamen, & quidem illam potissimum, quam ex Armenica lingua in Latinam transtulit Joh. Schröderus, & in Thesauro lingvæ Armenicæ exhibuit p. 251. heic legendam sistimus:

Confitemur & credimus omnimode perfecto corde Patrem illum DEum, non factum, non genitum, & initio carentem Etiam genitorem filii, & spiratorem Spiritus Sancti.

Credimus verbum illud DEum, non factum, genitum, & initium habentem a Patre ante secula; qui non posterior est, neque minor, sed sicuti Pater ille est Pater, ita & filius ille est filius.

Credimus Sanctum illum Spiritum, non factum, intemporalem, non genitum, sed procedentem a Patre, coëssentialem Patri, & conglorium filio.

Credimus Trinitatem illam sanctam, unam naturam, unam DEitatem. Non tres sunt Dii, sed unus DEus, una voluntas, unum regnum, unus principatus.

cipatus. Creator visibilium & invisibilium. Credimus in Ecclesiam sanctam, remissionem peccatorum, communionem sanctorum.

Credimus unum illum ex tribus personis, Verbum illud DEum, genitum a Patre ante secula, in tempore descendisse in Deiparam virginem illam Mariam, accepisse de sanguine illius, & univisse cum illa sua Deitate. Novem menses retentum fuisse in utero immaculate illius virginis, & factum esse DEum illum perfectum hominem perfectum, spiritu, & mente, & corpore: una persona, unus aspectus, & unius una natura. DEus ille homo factus est sine mutatione, sine alteratione. Sine semine fuit conceptio, & sine corruptione generatio. Sicuti non est initium DEitatis ejus, ita neque finis humanitatis ejus. Quoniam IESUS Christus heri & hodie, idem & in secula.

Credimus Dominum IESUM Christum, postquam ambulasset supra terram triginta annos, venisse ad baptismum.

Patrem

Patrem testatum fuisse: hic est filius meus dilectus. Et Spiritum Sanctum in forma columbæ descendisse. Tentatum a Satana, & vicisse eum. Prædicasse hominibus salutem. Laborasse corpore, delassatum fuisse, esuriisse ac sitiisse, posthæc venisse voluntarie ad passiones, crucifixum & mortuum fuisse corpore, sed vivum DEitate sua. Corpus ejus positum fuisse in sepulchro unitum cum DEitate illa; & spiritu suo descendisse ad inferos indivisa DEitate illa, prædicasse spiritibus, destruxisse inferos, & liberasse spiritus illos. Post triduum resuscitatum fuisse e mortuis, & apparuisse discipulis suis.

Credimus Dominum nostrum JESUM Christum, eodem corpore sublatum esse in cælos, & sedere ad dextram Patris. Etiam venturum esse eodem illo corpore & gloria Patris, ad judicandum vivos ac mortuos. Qui etiam est resurrectio omnium hominum.

Credimus etiam retributiouem operum: justis illis erit vita æterna, sed peccatoribus cruciatus æterni.



§. IV.

Hæc est confessio illa fidei, quam utpote ex ore antistitum suorum præstantissimorum sanctorumque profluentem, animis liberorum, discipulorumque, ab infantia usque solícite admodum inculcant Armeni: quæ, quid in reliquis orthodoxiæ contrarii habeat, aliis dijudicandum relinquimus; hoc duntaxat respexisse nostrum erit, quæ proprie sit mens eorum, tum circa verba illa: *unitus una natura*, quæ in prisca confessionibus comparent; tum circa hæc ipsa in recentioribus: *divinitas cum humana natura sine omni macula & iniquatione commixta est* p). Quod ad priora, summa fuere illa, omnium controversiarum Græcos inter & Armenos, a multis seculis agitarum. Occasionem vero phrasi dedit hæresis Nestoriana, cui, ut fortius resisteret Cyrillus Alexan-

p) Ricaut. Hist. de l'etat. pres. de l'eglise Armen. p. 406.

lexandrinus, *μίαν* dixit τῆς λόγῳ σε-
σαρκωμένῃ φύσιν q). Unde Armeni,
de orthodoxia hujus Patris nulli du-
bitantes, *unam dixerunt naturam ver-
bi incarnati*. Euthyche vero etiam
Deitatem & humanitatem Christi
μίαν φύσιν statuente, ista quoq; ver-
ba: *una natura*, adeo dubiæ & su-
spectæ significationis esse cœpere,
ut Armeni, Charybdin Nestorianæ
hæreseos vitando, in oppositam ei
scyllam Euthychianæ incidisse com-
muniter crederentur; quam tamen,
zizaniæ instar, semper ipsos respu-
isse, & constanter aspernatos fuisse
monet Schrœderus. Et in testimoni-
um hujus rei affert apologias quas-
dam Armenor. contra imputatam il-
lis hanc hæresin zelo ferventissimas:
Expresse Nierses Lampronensis r).
*Non dicimus de verbo incarnato unam
naturam*

q) in Actis Ephesinis p. 243. & Epist.
ad Eulogium ibid p. 246 &c. cit. Schröd.
p. 286. r) Orat. habit. in concilio Tar-
sensi.

naturam, proprietatem Essentiarum confundendo, quemadmodum & illi hoc putant, sed juxta ineffabilem unionem duarum illarum in unam personalitatem & DEitatem. paulo post: Dicimus unam naturam in Christo, non confusione juxta Euthychem, sed juxta Cyrillum Alexand. contra Nestorium, quod una sit natura verbi incarnati, prout & Patres dixerunt. Plura Patrum Armenorum testimonia, videantur apud Schröd. t). quibus ex recentioribus jungantur scriptores Clarissimi, Dn. Gerlachius u). & Ricaut. w), qui Patriarchas, Episcopos, & monachos eorum convenerunt, & ab ipsis audita referunt. Narrat enim Gerlachius, Patriarcham quendam eorum, non solum vere orthodoxam sibi fassum fuisse sententiam de S: S: Trinitate; sed & de Christo

t) in Not. ad Confess. Fid. Arm. a p. 275. ad p. 288 u) apud Hotting in ἀρχαιολογία orient. p. 66 & seq. w) en Histoire &c. pag. 402. & 403.

sto homine expresse & nominatim respondisse, esse illum unigenitum & æternum filium Dei, & in tempore ex Maria hominem factum, eundemq; non tantum secundum Divinam naturam, sed etiam humanam, toti Ecclesiæ suæ, in orbe terrarum dispersæ, singulisq; ejus membris præsentem. Idem prorsus de illis sentiunt Edoard. Brerewodus, x). Bryan Walton y), & alii. Unde per phrasin allegatam, non nisi unionem naturarum indivisibilem, eos intelligere, volunt doctorum non pauci. Nam præterquam quod in sequentibus, voces: *mixtura* & *unio*, illis ceu synonyma habeantur, observant insuper lingvæ illorum periti, z). vocabula illa, nativa ipsis lingva, *conjungere*, *unire*, *conjunctionem*, immo *arctissimum conjunctionis vinculum* designare, quam significationem, ceu menti ipsorum accommodatissimam, hic maxi-

x) in *Scrut. relig. cap. 15. p 117. y)*
Dissert. de lingv. orient. z) Schröd. p. 287.

maxime attendendam suadenti idem. Quin & hoc observandum, ante mota cum Euthyche & Nestorio certamina, quosdam ipsis etiam orthodoxis patribus usitatas fuisse in hoc argumento locutiones, v. g. *commixtionis*, *permixtionis* &c. quibus tamen non realem ipsarum naturarum & substantiarum confusionem Euthychianam, sed summam unionem & arctissimam duarum naturarum conjunctionem hypostaticam significare voluerunt.

§. V.

His ita excussis, ad Patriarchas Ecclesiæ hujus nos convertimus, qui quot sint, non inter omnes convenire deprehendimus; duos quibusdam *) aliis plures statuentibus. Sed tota illa lis, partim tempori, partim etiam iudicio eorum debetur, qui titulares illos Patriarchas, utpote Hierosolymis, Constantinopoli, Smyrnæ,

*) *Brerewood. l. c. pag. 114. Gotthofred. in Arch. Cosm. lib. 2. pag. 27.*

Secundus olim *Melitenæ*, quæ provinciæ illius metropolis est, nunc *Sis*, non procul a Tarso Ciliciæ, sedem habet. Tertius *Canshabaræ*, & quartum *Achtamaræ*, in confiniis Iberiæ sedet. Hi omnes ecclesiis licet, Provinciisque suæ fidei commissis, æquali jure præsent; tres tamen posteriores Patriarcham Etchmeazinæ caput agnoscunt, eumque de rebus arduis & spinosis consulunt.

Quod ad salaria eorū & anniversarios redditus adinet, solebant olim singulos *Mædinos*, (monetæ genus est) a singulis Armenorum domibus exigere; verum Turca hoc jus ipsis ademit, ut hodie, ex prædiis aliquot, donis fidelium voluntariis, eleemosynisque, quovis die Dominico, publica urna in templo colligendis, vivere cogantur. Ut habeant autem, unde necessitatibus suis, quodammodo medeantur, administrationibus rituum ecclesiasticorum, utpote matrimonii, bapti-
smi,

fmi, sepulturæ &c. confessione pœnitentia, & sacramento altaris exceptis, certa imposuerunt pretia, quibus non solutis, vix illos peragunt. Quamvis ne sic quidem sociam paupertatem profligent, quin egestate, æque ac ignorantia, continuo luctentur.

§. VI.

Quod ad sacramenta Armenorum, septem ne cum Romanis, an duo nobiscum agnoscant? non facile dixerimus. Legitur quidem apud Schröderum c), sacerdotem quendam eorum hæc Europæo falsum fuisse: *Non sola nostra Haicana natio, sed quotquot Christiani sunt in omnibus Asiæ partibus, credunt & habent septem Mysteria (sacramenta) ecclesiæ: baptismum, chrisma, Eucharistiam, pœnitentiam, matrimonium, ordinem sacerdotii, & extremam unctionem.* Silent tamen hac de re, quotquot mihi contigit perlustrare,

B 2

cæ

c) pag. 327.

cæteri scriptores, quod fecisse eos mirum videri posset, si tam tædo errori patrocinaarentur Armeni. Reliquis igitur missis, ea tantum, quæ juxta eos, ad Babtismum & s. Synaxin pertinent, paucis observasse contenti erimus. Quantum ad prius, infantem primo in ulnas susceptori tradunt, qui templum petens, ejus nomine confessionem fidei, & abdicationem Satanæ edit. Deinde per caput & pedes illum amplectitur ex ordine cleri quidam, ter aquis immergit, institutionis verba dicendo. Triplicem illam submersionem ad essentialia baptismi omnino pertinere credunt, cui rite peractæ accedit chrisma, quo, ad formam crucis, facie, oculis, auribus, mento, stomacho, manibus, pedibusque inunctis, communionem tandem infanti impertuntur, radendo labia ejus pane benedicto, quem ipsis *Maz* dici accepimus. Conficitur vero oleum sancto

sancto huic chrismati destinatum, ex variorum generum aromatibus, floribusque, quorum præcipuus ille est, qui ipsorum lingua *Balassan Fague*, Gallis *flos Paradisi*, dicitur: & si forte a Patriarcha præparato chrismate destituantur, baptizare nequeunt *d*). Rebaptizant etjam ab ecclesia Latina ad eos transeuntes, uti testatur *Brerewodus e*).

Eucharistiam, non nisi Dominicis, Festisq; diebus, modo huic nationi peculiari, celebrant. Panem enim vino intinctum, sive corpus sanguine madefactum communicantibus exhibent. Nec pane fermentato, nec vino aqua mixto utuntur. Verum & substantiale corpus & sanguinem Christi adesse credunt, sed transubstantiationem admittere videntur *f*). Non omnes tamen

B 3 dogma-

d) *Tavernier voyages en Perse lib. 4. cap. 11. pag 501.* *e*) *in Scrut. relig. pag. 118.* *f*) *Hotting. in ἀρχαιολ. Orient. pag. 68.*

dogmati huic obnoxios esse, monet Ricautus g). Infantibus etiam duorum vel trium mensium, Eucharistiam exhibent. Reliquas ceremonias in S. Cœna Armenis usitatas vide sis apud Tavernierium h).

§. VII.

Festa Armenis quam plurima sunt. Clero præsertim per annum vix pauci supersunt dies, quos non festivitatibus vel jejuniis dicatos habeant. Ceteris vero omiſſis, eos tantum, qui concursu multitudinis cujuscunque generis hominum celebrantur, memorasse sufficiat. Sunt hi, *Pascha* & *Pentecoste*, quos eodem quo nos tempore observant. Festum nativitatis Christi, die XXV. Decemb. non celebrant, sed per eum jejuni manent, & tam natalem quam *Baptismum* Salvatoris, die VI. Januarii omni cultu solennitateque colunt i). *Surp Savorich* sive festum

g) cap. 8. pag. 427. & 428. h) l. c. cap. 9 & 11. i) *Vitriac. Hist. Orient. c. 79. Galanus cap. 10.*

stum S. Gregorii; quem quanta animorum veneratione prosequantur, hisce prodit Ricautus k): *Savorich est l'admiration des Armeniens: ils le révèrent si fort, qu'ils comptent leurs années du temps de sa predication en Arménie, qui est à peupres le temps de leur conversion au Christianisme.* Festum ipsi dicatum celebrant Mense Majio vel Junio. *Vertevar*, seu transfigurationis Christi, in Junio vel Julio. *Asfasasin*, sive assumptionis Dominæ, in Augusto. *Surp Chathc*, sive crucis in Septembri. *Surp Chevorich*, seu s. Demetrii, in Octob. *Surp Nicolo*, in Novemb. *Surp Acop* in Decemb. & *Surp Serchis*, sive S. Georgii, in Januario vel Febr. Quod enim singulis festis non certum mensem, multo minus diem assignare possimus, in causa est varius lunæ cursus, ad quem variat etjam celebratio Festorum.

B 4

§. VIII.

k) pag. 397.

§. VIII.

Quam duro, sub alienigenarum imperio, ecclesia Armenorum prematur jugo, hinc judicari potest, quod ex monasteriis plusquam ducentis, hodie minus quinquaginta vel sexaginta, per Armeniam, Persidem, Turciamque residua habent. Monasteriorum hæc celebriora sunt: *Etchmeazin*, juxta Erivan. *Virap*, in provincia *Ardasbat*, ubi carceri inclusus fuerat s. Savorich. *Surp Charabet*, seu S. Joh. Baptistæ. *Varatch*, sive s. crucis, juxta *Van*. *Asfasasin*, seu S. Virginis, non procul a *Diarbekir*, & *Surp Bogas*, sive S. Pauli, juxta Angoram. Ad priora duo, & *Etchmeazin* præcipue, quod sanctitate ipsis Hierosolymis præstare sibi persuadent, quotannis peregrinationes suas instituunt, hoc consilio, ut varia naturæ & animi bona; utpote sapientiam Salomonis; vocem canendi Seraphinorum; castitatem, qualis Penelopes;

lopes; agilitatem athletarum; ad saltandum membrorum commoditatem; item uxorem formosam; amicos sinceros, aliaque ejus generis plura, a DEO certissime obtineant l). Sciendum autem, non posse ab alio peregrinationem hanc suscipi, nisi qui in antecessum per spatium septem annorum, XL. dierum jejunio, quotannis sese præpararit & mundarit. Hinc si forte quemquam supra memoratis dotibus minus ornatum inde redire contingat, illud non loco, sed potius ipsis supplicantibus, ad peregrinationem vix satis præparatis, imputatum volunt. Ordines religiosorum in monasteriis eorum tres sunt. *Surp Savorich*, sive S. Gregorii; *Surp Parsjach*, seu S. Basilii, & *Surp Dominicos*, sive Dominici. Hi, ut pietatis exercitio ardentius incumbant, media nocte surgunt,

B 5 & Psal-

l) *Ricant. en Histoire a. c. p. 398. & 399.*

& Pfalterium, in VIII. sectiones divisum, semel *υψημερω* perlegunt. De reliquis eorum inter orandum, ceremoniis, sic habet *Ricaut m)*: *Ils adorent à la maniere des peuples du Levant, en se prosternant, & en baisant trois fois la terre: ce qui se pratique aussi par les Turcs dans leurs devoi- ons. Lors qu'ils entrent dans l'Eglise, ils se decouvrent la teste, & font trois fois le signe de la croix. Après quoy ils se couvrent, & l'assient à la Turque, sur des tapis, les jambes en travers. Celebrant autem publica sua sacra ante solis ortum, candelis, lampadibusque, coram imaginibus sanctorum, accensis. Est quippe hic communis Armenorum error, qui ceu *αδωόν* η illis semper adhæsit, ut sanctos non solum, ceu Prophetas, Apostolos, S. Sylvestrum, S. Savorich, aliosque adorent, sed & imaginibus eorum singularem honorem exhibeant; quod quomodo fiat,*

m) cap. 3. pag. 401.

fiat, his prodit dictus nuper sacerdos eorum n); Nos omnibus imaginibus sanctorum duplicem honorem exhibemus, unum exteriorem, alterum interiorem: quando Christi, vel aliorum sanctorum imaginem intuemur, statim extrinsecus aliquod honoris signum ostendimus: postea etiam mente ad illum, quem imago refert, elevamur, DEum laudantes. Victimam autem bouum oviumque, quas sanctis etiam mactasse, earumque sanguine portarum suarum limina, more Judæorum, illevisse eos referunt veterum scriptores quidam, silentio prorsus, quotquot mihi videre contigit, præteriere recentiores; quod fecisse eos miraremur, si tam abominandis superstitionibus addictos novissent Armenos.

§. IX.

Jejunia Armenorum omnibus ferme populis rigidissima audiunt: quotuplicia vero sint, vix probe animad-

n) apud Schröd. pag. 336.

animadvertit D. Harant o), unicum duntaxat, ad morem nostrarum ecclesiarum illos observare asserens. Triplicis jejunii meminit quidam apud Schröderum Armenus, unus proprie *Pab* dicti, i. e. observatio; alterius *Dzuëm*, h. e. jejunium, & tertii *Navakatikh*, i. e. dedicatio p). Sed adhuc plura recenset Ricautus q), quorum primum est jejunium illud magnum, cui XL. illos dies destinant, qui Pascha præcedunt; quibus durantibus, non solum ab esu carniū, sed & piscium, ovorum, lacticiniorum, ut vulgo dicuntur, vini & olei olivæ abstinent, & modico tantum oleo sesamino, ipsis *Sousam* dicto, pulte, radicibus, herbis, fructibusque vescuntur r). Diebus Veneris, qui diei Paschæ & Ascensionis interjiciuntur, carnes comedunt, quod
alias

o) Reiszbeschreib. pag. 457. p)
p. 335. q) cap. 5. p. 408. seq. r) Ric.
p. 409. Boter. Relat. l. 2. p. 3.

alias per totum annum ipsis interdicitum est s). Reliqua quod attinet, multiplicia ea quidem, sed tempora, quibus observentur, cognitu adeo difficilia, ut vix a quoquam, nisi clero eorum, rite dignosci queant. Unum habent, quod per IX. dies sese extendit, & finitur circa XIV. Augusti; quod excipit S. Sancto dicatum; cui etiam XV. abhinc diebus, & ab hoc rursus XV. diebus aliis, novum celebrant. Interjecto deinde intervallo IV. hebdomadam, VIII. dies jejunant. Post VII. hinc hebdom. novum rursus, & elapsis XV. diebus, aliud ordiuntur; interpositoque trium hebdomadam interstitio aliud observant. Festum Epiphan. VII. reliqua vero, Pascha excepto, V. dierum jejunia præcedunt. Quanta autem sit eorum inter jejunandum abstinencia, vix facile dici potest; sunt enim multi, qui per triduum
 vel

s) *Vitriac. Hist. Orient. c. 79.*

vel quatrimum jejuni permaneant, non quod omnino frustulum panis, vel guttulam aquæ sibi assumant. Risum vero meretur, quod Armenum quendam, *Teron* nomine, eo superstitionis processisse referat Tavernier *t*), ut etiam equum suum, circa festum Gregorio sacrum, per septimanam, jejunio maceraverit, nec nisi parum pabuli permiserit.

§. X.

Quantum ad matrimonia, mos est Armenis, ut filios filiasque, ipsis plerumque inscientibus, despondeant, votis non ab arbitrio contrahentium, sed parentum, consanguineorumque pendentibus. Unde est, quod infantes sæpius, vix duos vel tres annos natos matrimonio illigent, illudque, cum ad maturam ætatem pervenerint, ratum habere jubeant. Quin &, teste Tavernier *u*), evenit interdum, ut in-

timæ

t) cap. 10. pag. 499. *u*) cap. 12. pag. 504. & 505.

intimæ familiaritatis feminæ, fœtus, utero adhuc inclusos, mutuo despondeant, & si post partum sexus ita tulerit, de connubio eorum conveniant. Laicos, secundis nuptiis non prohibent; tertias vero si cui contrahere volupe fuerit, adulterii criminis instar habetur. Viduæ non nisi viduo nubere, nec juveni, nisi virginem, uxorem ducere, integrum est. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Doctores & Monachi, a cælibatu non discedunt; *seculares* vero, qui dicuntur *sacerdotes*, in mandatis habent, ut conjugium ineant. Quod si vero primam uxorem eorum, mori contigerit, & aliam duxerint, officio deponuntur *w*). Si quem delectent nuptiales ceremoniæ Armenorum, consulat D. Tavernier, & Olearium Itin. Pers. qui eas pluribus persequuntur.

§. XI.

w) Burchard. *descript. ter. sanct. Ric.*
p. 433.

§. XI.

Proximum jam est, ut, quid de mortuis, & statu animarum post mortem. sentiant nostri, paucis exponamus. Sunt qui arbitrantur, duo tantum animarum e corpore migrantium receptacula, agnoscere Armenos, ita ut statim post dissolutionem, plenissima gaudia piis, æque ac exquisitissimos cruciatus impiis destinent. Fatentur tamen ipsi, immo evincunt alii, tria illis statui loca: *cælum*, seu paradusus cœlestis; *infernus*, & *mansiones* seu *stationes iustorum*, quæ ipsis *Gayank* audiunt. Hinc neminem sanctorum, nedum Prophetas, Evangelistas, & Apostolos, præter Eliam, & S. Virginem, cœlum beatorum ingressos, verum animas eorum, in hæc *ψυχοδοχεια* receptas credunt, ubi ad extremum diem retentæ, nec gaudii quidquam, nec doloris sentiant. Unde sic precatur Nierses Patriarcha: *Lux vera, Christe, dignam redde*

redde animam meam, que in letitia videat lucem gloriæ tuæ in vocatione diei illius: & acquiescat in spe bonorum, in mansionibus justorum, usque ad diem magni adventus tui x). Purgatorium autem, ceu figmentum, ineptissimum rident, abominanturque y). Ritus funebres, quos justa defunctis persolvendo, multis cerimoniis adornant, brevitati quam maxime studens, venia tua B. L. sicco pede prætereo. Hoc duntaxat observasse sufficiat, quod certo die anni, monumenta defunctorum adire, & lugubres vociferationes, barbarosque ululatus edere, moris sit ipsorum, ut hoc modo, quantum suprema eorum defleant, testentur. Sed non diu in his luctibus hærent, verum mox in lætitiâ effusi, allatos secum, cibos comedendo, viniq; plurimum bibendo, reliquum noctis consumunt.

C

§. XII.

x) Schröd. p. 296. y) Hotting. p. 68. Brerewod. cap. 15. pag. 117.

§. XII.

His utcunque perlustratis, coronidis loco, an Romano Pontifici adhæreant, eumque ceu caput œcumenicum agnoscant Armeni, expendendum. Non pauci sunt scriptores qui affirmativam, nec desunt qui negativam, eamque veram, sententiam teneant. Fate-mur quidem, superioribus seculis multum laborasse Pontifices Romanos, ut Armenos, ecclesiæ unirent Romanæ *), & irrepsisse tandem inter Armenos numerum haut exiguum emissariorum, qui ad attrahendam ecclesiam eorum ultimos suos conatus adhibendo, subdoleq; agendo, tantum profecerint, ut decem monasteria, ordinis Dominicani, inter eos instruxerint, nec non Armenorum quosdam suis dogmatibus circumvenerint. Nec diffi-

*) *vid. Clement. Galani Hist. Armen. Maimbourg Histoire du schisme des Grec. l. I. p. 304.*

diffitendum, circumferri confessiones, aliaque scripta, quæ unionem Romanos inter & Armenos approbent. Sed sunt confessiones illæ castratæ, & scripta ejusmodi vel fraudibus a quoquam Armenorum extorta, vel ab ipsis Romanensibus illorum nomine consignata, quibus ipsi constanter reclamant. Hinc refert Celeb. Ricaut *a*). Legatum Gallorum Regis, M. de *No-intel*, Anno MDCLXXIV. Armenorum nomine confessionem fidei procurasse, qua illos, confusionis evitandæ causâ, Papæ obedientiam deferre, eumque universale Ecclesiæ caput agnoscere affirmat. Hæc cum vulgata esset, fama de unione harum Ecclesiarum longe lateque sparsa, ita tandem convuluit, ut illam, ceu veram adoptare, multi non dubitarint. Fidem rumori fecit Episcopus quidam Armenorum, qui donis, magnisque

C 2

polli-

a) pag. 440. seq. it. pag. 423.

pollicitationibus corruptus, eodem forte tempore suam religionem Romanensi permutarat. Unde accidit etiam, ut Anno MDCLXXVIII. per sex integros menses, de adventu primarii Armenorum Patriarchæ, & XXXVI. Episcoporum, ipsum comitantium, qui Papæ, se suosque populares submitterent, magnopere tripudiarent Romani. Sed ante victoriam cecinere triumphum; adventum enim legationis Armenorum frustra expectavit Roma, cujus indulgentias & imposturas, veneni instar, damnant & detestantur Armeni. Hinc Papæ nihil pendunt, verum ad minas ejus interriti, suæ religioni adeo constanter inhærent, ut abdicationi ejus, persecutiones, immo martyria præferant exquisitissima b). Neque tamen destiterunt Romanenses ulterius hanc tentare unionem. Circa

annum

b) *Tavernier Voyages en Perse, lib. 4. cap. 14. a pag. 511. ad 517.*

annum enim 1699 monachum,
 quendam Archiepiscopi Ancyrani
 titulo ornatum, ad Armenos Tzul-
 fenses papa ablegavit Romanus. Qui
 quid effecerit, relatio Parisiis edi-
 ta exponit. Recte vero Spanhemi-
 us c): *Sublestæ fidei sunt pleraque quæ
 de Armenis Roma, aut a Romanis emis-
 sariis tradita, tanquam in Latine ec-
 clesie communionem receptis. Nempe,
 de Armenis, in communi referunt,
 que vera de nonnullis in particulari,
 qui Romam private utilitatis causa
 confugerunt, unionis quæstæ fa-
 miliari obtentu.*

c) Spanhem. Elench. Contrövers. cum
 Grec. &c.

L. S. N.



SIR,

DO not think, Sir, I was able, in regard of our friendship, to dissemble my joy and great satisfaction, as soon as I heard that your learned work was to be printed. In deed I was so much transported with joy, that I could not forbear to express it unto you. You have Surely choosed the most honest manner of living, with which if I compare all things under the heaven, they are nothing but vanities. I therefore rejoyce with you because of your wit and Knowledge, wisdom and learning, and wish that you with gladness may receive the rewards of your labours. I am

SIR

*Your humble servant
and true friend*

NICOLAUS A. GRIZELIUS.

JUVENI

Moribus & eruditione ornatissimo
Dn. LAURENT. STIERNER,

De

Hodierno statu Ecclesie

Armenorum,

Egregie differenti.

Quid tibi cum fluviis frater? Tritonis a-
byssō

Divorum multos immaduisse sat est.

Squallida tecla petis, dominatur in equore
terror,

Phœbus & ipse pigras nescit adire domos.

Tristia squaifera volvunt heic lumina phocæ,

Personat & turpis voce ululante canis.

Cetera quid referā? nil hic nisi mortis imago;

Cur juvat, o frater, tanta pericla sequi?

Fallor! at hi fidas lusus funduntur in aures,

Te rapit ad rivos Cynthius Aonios.

Alilis, est aliquid, quā fecerat ungula, κρηνην

Quadrupedis plena sic tetigisse manu.

Est aliquid, dulces habitare Aganippidos ūdas,

Castalioque sibi condere melle favos.

Is labor est, frater, primis tibi cultus ab annis,

Literulis teneras tinxit Apollo cunas.

Non opus est verbis, loquitur res ipsa, loquūtur

Turca pharetratus quos tenet, Armenii.

Forte

*Forte sub atroci latnissent nocte sepulchri
Hi, nisi tu radios feceris ire novos.
Gratulor hinc valde, celebres tibi gratulor
ausus,
Montibus Aoniis pæan ad astra sonet.
Euge bonis avibus! ducant moda leta sorores
Stamina, sic lauro mox decoratus eris.*

Festinanter applausit

Gäddeby den 22. Apr.
1726.

JOANNES MICRELIUS,
Nericus,

VIRO JUVENI

Moribus & literis præstantissimo
Dn. LAURENT. STIERNER,
De Statu hodierno Eccle-
siæ Armenorum
Disputaturo.

Q*uis status Armeniis? quæ dogmata
vera fovebant,
Solerti calamo pandis, amice, tuo.
Palladis & tandem, post tot mala sortis
iniquæ
Limina celsa petis, non titubante gradu.
Alite perge bono, quo te Tua vota vocabunt,
Sertaque Pieridum docta Minerva dabit.*

Ex animo gratulatur

JOHANNES PALMBERG,

A

MONSIEUR,

LAUR. STIERNER,


Auteur de cette savante dissertation.


Quand d'un côté je pense, qu'il n'y a presque rien dans tout l'univers, que la nature même nous impose autant d'aimer & d'honorer, que les fideles precepteurs, & de l'autre je considere les heureux progrès, que j'ai faits aux belles lettres par votre diligence & votre industrie, je ne puis pas me dispenser en cette occasion favorable, lorsque vous allez donner par une savante Dissertation une preuve de votre erudition, de vous temoigner ma grande joie & ma tres sincere affection. J'avoue bien, que la rudesse de mon stile m'empêche absolument de relever tant votre fidelité envers.

tè envers moi, que votre diligence
Et votre assiduité infatigable dans
les études; mais sachant que la ver-
tu, Et un esprit vif Et penetrant
à toujours ses propres louanges, je
les laise, au fond de mon cœur, vous
souhaitant tous les succès Et tous
les veritables contètements qui peu-
vent couronner vos desseins, afin
que vous puissiez remporter une re-
compense digne de vos merites Et
de vos travaux. Au reste, com-
me vous vous êtes appliqué au ser-
vice de l'eglise, je prie Dieu de
vous combler de plus en plus de
ses graces, Et d'augmenter en
vous le zele de sa verité à sa gloire,
Et à votre propre avantage. Voici
les fideles Et sinceres souhaits de
celui qui demeure avec beaucoup
d'estime Et d'affection

MONSIEUR

Votre tres humble serviteur
JEAN OTTON AERSEJN.





www.books2ebooks.eu